

ingrediatur, vel ipsi, vel religioni, et potest esse sermo, ut in num. 4 proponeretur, vel de solo ingressu per professionem, ut cum quis impedit jam novitium ne profiteatur, vel de primo ingressu, ut cum quis impedit secularem ne habitum religionis assumat. Et de utroque dicendum est, si inductio sit sine vi et fraude per solas preces, et alia humana motiva, nullam inde oriri obligationem restituendi respectu utriusque partis. Probat, quia neutrius respectu illa actio est contra justitiam. Imo, si consideretur præcise ut est aliquo modo in damnum religionis, nec peccatum mortale ex genere suo esse videtur, quia religio non habet jus in tali, vel ad talem personam; ergo peccatum illud respectu religionis non est contra justitiam; ergo non habet ex objecto gravem malitiam, quia nulla apparet alia virtus cui graviter repugnet; maxime enim charitati repugnaret; inde autem gravem malitiam non habet, per se loquendo, quia religio non est in gravi necessitate, ut ob eam causam sit mortale peccatum impedire illi bonum illud, seu commodum talis personæ; sicut non est peccatum mortale impedire ne aliquis instituat hæres, quando id fit sine vi et fraude, et sine formali odio. Et ita etiam hic limitari solet hæc pars, quæ communis est: Dummodo hoc non fiat ex intentione damnificandi religionem, quæ limitatio vera est quoad peccatum mortale. Nam illa intentio includit odium graviter repugnans charitati; non tamen est necessaria illa limitatio in ordine ad restitutionem, quia etiam illa intentio non est contra justitiam, neque actio, ab illa procedens, ob illam causam injuriosa fit.

22. *Videtur tamen mortale contra statuentem ingredi.* — At vero respectu ipsius personæ, quæ tanto bono impeditur, videtur esse actio illa peccatum mortale ex genere suo, non tantum ratione intentionis, ut si fiat ex odio et invidia spiritualis profectus fratris (quod est manifestum), sed etiam ex ipsa materia, quia est illud genus quoddam gravis scandali. Nam scandalum non tantum est inducere proximum ad malum, sed etiam avertere illum a bono, vel meliori, præsertim quando illud jam inchoaverat, vel in proposito habebat. Vel si quis nolit hoc vocare proprie scandalum (ne in voce hæreamus), certe est quoddam opus inferens grave nocentum proximo; quod licet non sit contra justitiam, quia non fit invito, est tamen contra charitatem inducere hominem in eam volun-

tatem, quæ talis nocenti causa est. Et confirmatur, nam inducere aliquem pravis consiliis et precibus ut dilapidet bona sua, grave peccatum est contra charitatem, quia est causa damni notabilis contra eandem virtutem.

23. Nihilominus aliqui censent hoc non esse peccatum mortale ex genere suo, nisi ex aliqua prava intentione illam accipiat, quia non tenetur quis magis diligere proximum in spiritualibus, quam seipsum; sed non peccat quis graviter nolens ingredi religionem, vel mutando propositum ingrediendi, et consequenter se privando omnibus bonis quæ status ille secum affert; ergo nec etiam peccabit graviter, eodem modo se gerens circa proximum, prout potest sine injuria, scilicet inducendo voluntatem ejus. Confirmatur; nam objectum illius inductionis, scilicet, ut proximus nolit ingredi religionem, non est intrinsicè malum; ergo neque actus inducendi, ex vi objecti est aliquod peccatum, nedum mortale; cujus signum etiam est, quia ex justa causa potest esse actus bonus, ut est per se notum; ergo ex causa seu motivo, propter quod fit, sumenda est ratio et gravitas talis culpæ; ergo nisi fiat ex mortali intentione, non erit peccatum mortale. Non ergo peccabit mortaliter parens retrahens filium a religionis ingressu, solum ut habeat hæredem; nec amicus retrahens amicum, cujus conversatione et familiaritate sine Dei offensione gaudet; neque dominus retrahens servum propter suam utilitatem temporalem, quia in his casibus, et similibus, non est malitia mortalis; sed vel nulla est, vel ad summum erit venialis, si delectatio aliqua humana et indifferens, vel temporalis utilitas propter se diligentur; ergo absolute dicendum videtur hoc non esse peccatum mortale, nisi, vel ratione intentionis pravæ, vel nisi aliquis modus moralis violentiæ adjungatur ut est in parente timor reverentialis, aut nimis importunæ preces, vel etiam promissiones vanæ, quæ vix possunt a deceptione excusari. Videatur Navarrus, lib. 2 de Restit., c. 2, numero 15.

24. *Secundum consecrarium tripartitum. — Qui contra justitiam impedit, et religioni et impedito est injuriosus.* — Secundo infero ex dictis, eum qui per vim vel dolum ingressum vel professionem religionis impedit, peccare mortaliter, et teneri ex justitia ad tollendam vim, et ignorantiam, seu errorem, non tamen teneri ad ampliorem restitutionem faciendam, aut personæ, aut religioni. Prima pars clara est, quia actio illa non solum est contra cha-

ritatem, sed etiam contra justitiam, saltem respectu personæ cui vis infertur, vel quæ decipitur; respectu autem religionis erit etiam actio injuriosa, si coactio fiat Prælati, ne talem personam recipiat, aut si per dolum et deceptionem Prælati idem fiat; an vero vis facta volenti esse religiosus, sit etiam injuria religionis, et e converso, dubitari potest, quia tunc sunt quasi personæ minus distinctæ. Nihilominus affirmative respondendum est, quia unusquisque habet jus ut, per vim et fraudem cuicumque factam, nemo impediatur sibi beneficium conferatur; ut si quis per violentiam impediatur divitem, ne faciat eleemosynam pauperi, non solum diviti, sed etiam pauperi injuriam facit; ita ergo est in præsentia. Quando enim Prælati per timorem gravem cogitur ne aliquem admittat, huic fit gravis injuria, quia per iniqua media et injusta invitatur privatur magno bono. Et e converso, cum vis infertur personæ, injuria fit religioni, quia impeditur progressus, et augmentum ejus. Item indirecte privatur unusquisque sua libertate per violentiam alteri factam, quod in quocumque humano contractu injustum est. Atque idem est de deceptione, in qua solet peculiaris injuria intervenire, quia solet decipi una pars infamando aliam, quæ est nova et directa injuria. Et hinc probata relinquatur secunda pars, nam justitia obligat ad cessandum ab injuria, et ad tollendum injustum impedimentum, ut supra satis dictum est.

25. Tertia vero pars, quæ nunc est communior, ut patet ex Soto, Ledesma, et aliis recentioribus, probanda est a fortiori ex superioribus, quod ibi considerari potest, non potest, ut sic dicam, in se et efficaciter restitui, et quoad præteritum tempus, est quasi irreparabile; quoad futurum vero satis reparatur tollendo omne impedimentum; et quamvis possint dari alia auxilia monendi, precandi, intercedendi, etc., illa, vel sunt ad melius esse, vel ad summum ad charitatem pertinent, non ad justitiam. Damnum vero temporale ex parte religionis non consideratur, ob rationem supra factam, quæ hic majorem vim habet, quia religio nondum habet jus in talem personam; ex parte vero futuri religiosi posset magis considerari, quia forte privatur temporali subsidio, etc. Tamen, quia illud est valde accidentarium et remotum, et quia regulariter plus in hoc genere relinquatur per ingressum religionis, ideo etiam hæc obligatio moraliter non aestimatur, præsertim, quia quoad tempus

futurum satis resarciatur illud damnum, si quis ablato impedimento religionem ingrediatur, quod in ejus est potestate; incommodum autem præteritum, quatenus temporale est, moraliter quasi nihil aestimatur. Possunt quidem excogitari circumstantiæ quæ reddant hoc damnum aestimabile, et dignum temporalis recompensationis; sed hoc adeo est rarum, ut non impediatur generalem regulam, et tunc arbitrio prudentis relinquendum est.

26. *Tertium consecrarium de cooperantibus ad apostasiam.* — Tertio infertur ex dictis, eos qui cooperantur religioso volenti apostatare, adjuvando, recipiendo, etc., licet graviter peccent pro ratione cooperationis, non teneri ad aliquam restitutionem. Probat, quia non tenentur religioso, quia respectu illius peccatum illud non est injustitia, sed sacrilegium. Nec tenentur religioni, propter fundamenta superius adducta; si enim is, qui inducit, non tenetur, multo minus obligabitur qui solum adjuvat. Atque hæc sunt quæ ex jure naturæ consequuntur; jure autem ecclesiastico (ut tertiæ parti tituli satisfaciamus) additum est, ut hæc personæ excommunicationem ipso facto incurrant, ut constat ex privilegiis concessis Mendicantibus ab Innocentio IV, et Leone X, et Julio II, in lib. Monument. Ordin., concessione 554, et 651, et 452, et in Compendio privilegiorum Mendicantium, verb. *Apostata*, § 8; et in Compendio Societatis, verb. *Apostata*, § 3 et 4, ubi notatur hanc excommunicationem esse reservatam Pontifici. Solumque indiget hæc censura declaratione, quoad receptatores, quam trademus infra, a capit. 8, tractando de transitu ab una religione ad aliam.

CAPUT IV.

AN RELIGIOSUS PROFESSUS JUSTE POSSIT A RELIGIONE EXPELLI.

1. Ratio dubitandi est, quia professio est contractus reciprocus inter religiosum et religionem, ut sæpe dictum est; ergo debet esse æqualis ex utraque parte; sed religiosus ipse ob nullam causam potest invita religione illam deserere, vel ad seculum redire, etiam quoad habitationem et vitam a religionis communitate segregatam; ergo nec e contrario potest religio ipsum religiosum invitum a se expellere. Atque ita sentit Cardinalis, in Clement. 1, § *Quia vero*, de Stat. monach., monachum incarcerari et aliis modis puniri, non tamen posse expelli. Quod videtur posse

confirmari ex cap. ult. de Regular., ubi Pontifex præcipit omnes ejectos inquiri, et ad monasterium, si ordo religiosus id patitur, vel ad habitationem aliquam monasterio conjunctam revocari, ut ibi pœnitentiam agant; ergo saltem post illud jus non licet talis ejectio. Alii ita moderantur hanc partem, ut dicant religiosum, quantumcumque incorrigibilem, expelli non posse, si permanere vult, atque adeo nisi ipse consentiat. Ita sentit Sylvester, tribuens D. Thomæ, verb. *Religio*, 6, § 17; Armilla, verb. *Religio*, § ultimo.

2. *Prima probatio ex jure communi.*—Nihilominus res certa est, posse licite religiosum a religione expelli justa de causa. Probatur primo ex jure communi, cap. *Cum ad monasterium*, de Statu monach., ubi de proprietario contumaci, et post regularem monitionem præmissam, dicitur: *De monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam.* Exponet fortasse aliquis, ibi non dici, ut expellatur a religione, sed a monasterio, nimirum quasi relegendo illum in aliud, non vero extra totam religionem pellendo; ita enim in simili interpretari conatur Archid., in cap. *Abbatas*, 18, q. 2, n. 5. Verumtamen considerandum est, Pontificem loqui de monasticis religionibus, in quibus professio fit in particulari monasterio, in quo acquiritur filiatio, et peculiaris unio et obligatio, ita ut nec religiosus possit ad aliud monasterium ejusdem religionis sine monasterii consensu transire, nec aliud monasterium possit cogi ad illum recipiendum in proprium membrum ac socium: et ideo perinde loquitur Pontifex de monasterio, ac de integra religione, quia ad illum modum professionis alia monasteria sunt omnino per accidens; intelligit ergo ut expellatur simpliciter a religione. Et ita sentit ibi glossa, licet addat, posse mitti in aliud monasterium, ne evagetur, sed pœniteat; quod est verum, si religio velit, et expeditur judicaverit; tamen, si aliud judicat, etiam potest omnino expellere, juxta Pontificis mentem, et communem intelligentiam. Quod clarius explicavit Honorius, in cap. ult. ejusdem tituli, dicens: *Ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves.* Idem probatur aperte ex c. *Relatum*, Ne clerici vel monachi, ibi: *Vel si restiterint ausu temerario, eis ejectis, etc.*, et cap. *Cum in Ecclesiis*, de Majoritate et obedientia, ibi: *Alioquin de fratrum consortio penitus excludatis.*

3. *Probatio ex juribus et usu peculiaribus religiosi.*—Secundo idem probatur ex regu-

lis et consuetudinibus religiosi. Nam Basil., in reg. 28, ex fusius disputatis, de inobediente post plures admonitiones contumaci ait: *Ut membrum vitiatum inutileque, medicorum more, præcidere convenit.* Affert illud Matth. 5: *Si oculus tuus dexter scandalizet te, etc.* Idem habet reg. 44, ex Brevioribus, et sane non ob culpam nimis gravem, sed quia impatienter suffert correctionem cum contumacia. Idem reg. 57 et 61, pro quocumque vitio incorrigibili, vel quia laborare non vult, nec psalmos discere, et similia cum incorrigibilitate conjuncta. Idem in animadvers. ad canonicos delinq., reg. 8, et in Constit. monast., c. 34. Benedictus etiam in sua regula, c. vigesimo octavo, præcipit contumaces et incorrigibiles expelli, et plane loquitur de absoluta ejectione a tota religione, nam supponit præcessisse plures admonitiones, correctiones, pœnas, usque ad flagella et excommunicationem, et alia media, nullaque sufficere, et tunc, ait, utatur Abbas consilio Apostoli: *Auferte malum ex vobis ipsis*, 1 Cor. 5, et: *Si infidelis discedit discedat*, 1 Cor. 7, *ne ovis morbida totum gregem contaminet.* Et ita observant religiones monachales, quæ fere omnes (Carthusiam excipio) sub regula S. Benedicti militant, ut sumitur ex Concilio II Aquisgran., sub Ludovico, tit. de Ordine Rectorum, c. 15; et ex Bern., epist. 122, ubi eodem consilio utitur. Et usu etiam id servasse S. Benedictum, refert Gregorius, lib. 2 Dialog., c. 25. Augustinus, in regula, cum dixisset contumacem graviori pœna plectendum esse, subdit: *Quam si ferre recusaverit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur; non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* Et ita etiam observant religiones, quæ regulam Augustini profitentur, ut de Canonicis regularibus dicitur in Concilio I Aquisgran., sub Ludovico, c. 134, ubi latissime plura ponuntur remedia, priusquam ad hoc extremum supplicium perveniat. Idem observare licet in sacra Prædicatorum religione, distinct. 1 suarum Constitut., c. 19, ubi post alias pœnas additur: *Vel secundum regulam Patris nostri Augustini, si magis expediens judicetur, exutus habitu ordinis de nostro ordine expellatur;* quod etiam confirmat D. Thomas, Quodlib. 12, a. ult. Idem statutum est a S. Francisco, in sua regula¹, c. 13, ut apos-

¹ Cord., q. 31, in c. 2 suæ regulæ, Manuel Roder., 1 tom. Quæstionum regul., q. 30, art. 13, 14.

tata, qui religionis habitum voluntarie exuerit, penitus ab ordine expellatur; quod, licet cum aliqua moderatione infra tractanda, in illo ordine receptum est, et ad alios casus ampliandum per Alexandrum VI, ut refertur in lib. Monumenta Minorum, concess. 65; et alia videri possunt in Compend. privileg. Mendicant., verb. *Eficere*; et in Specul. Minor., 2 p., tit. 1; et apud Bonavent., q. 14 in regulam.

4. Tandem probatur ratione, quia commune bonum religionis privato commodo religiosi præferendum est; sed ad commune bonum religionis moraliter necessarium est ut possit a se expellere membrum putridum, ne alia inficiat, ut Sancti citati docent; ergo. Quæ ratio multis juribus confirmari potest, quæ de censuris ecclesiasticis, præsertim de excommunicatione loquuntur, cum proportionem tamen in præsentem locum habent. Facit c. *Resecanda*, c. *Ecce*, 24, q. 3, c. *Sed illud*, 45 d., cum similibus: Unde facile solvitur ratio dubitandi proposita, et confirmatur veritas. Primum enim nulli parti fit injuria, si pacta et fœdera, juxta conditiones, quibus inita sunt, serventur; pactum autem religionis cum religioso, quando se illi obligat, ejus professionem acceptando, habet hanc conditionem inclusam, ut secundum regulam vivere studeat, et religionem non perturbet, sed obedientem et corrigibilem se exhibeat; ergo si ipse religiosus fidem non servat, nec religionis obligatio integra manet; poterit ergo illum a se expellere. Quod autem illa conditio subintelligatur (religiosa enim clara sunt) constat, quia tam in communi jure, quam in ipsis regulis religionum et quam in ratione naturali continetur; vota autem et professio fiunt secundum regulam, et commune pactum censetur fieri secundum jus, et secundum rectam rationem; ergo.

5. *Moderatio in eodem n. 1 impugnatur tripliciter.*—Atque hinc colligitur, non esse necessarium ut ipse religiosus ejectioni consentiat, si alias sufficiens causa præcessit. Probatur primo ex omnibus juribus et regulis adductis, quæ absolute loquuntur, et consensum ipsius personæ non requirunt. Secundo probatur ex usu; ita enim nunc fit in omnibus gravioribus religionibus, esseque antiquissimum morem intelligi potest ex facto magni Pachomii, quod ex Simeone Metaphraste refert Surius in vita ejus, cap. 59, die 14 Maii, ubi ait, eum quidam monachus, Sylvanus nomine, inhoneste se gereret, eum vocasse post vigesimum annum suæ exercitationis, jussis-

seque veste exui monastica, et expelli monasterio. Eum autem, ad pedes Patris prociens, rogasse: *Hoc adhuc mihi condona, Pater, etc.*; Pachomium autem respondisse: *Si, tot accepis monitionibus, nobuisti accipere id quod est melius, neque plagis affectus eligere id quod est utile, quemadmodum possum diutius permittere ut membrum morbosum congregetur cum grege Christi; ne forte unius ovis affricata scabies non parvam ejus partem inficiat, et corrumpat.* Potestatem ergo in se agnoscebat Pachomius illum invitum expellendi, quamvis tandem precibus et promissis sub fidejussore datis cesserit, et illum cum magno illius fructu retinuerit. Idem intelligitur ex Joan. Climach., in gradu 4 Obedientiæ, ubi refert de antiquis monachis, dissidentes jussu Prælati solitos reconciliari ante solis occasum, et privari cibo, donec in gratiam redirent, aut certe (inquit) *e monasterio expellantur.* Tertio declaratur ratione, quia ejectione hæc non tam est medicinalis pœna, quam vindicativa, propter commune bonum: ergo non pendet per se ex consensu delinquentis, sed ipso invito inferri potest, si ad commune bonum expedire judicetur.

6. Dices, hoc ad summum procedere, si religiosus nollet suæ ejectioni consentire, nec etiam vellet emendari; tunc enim propter contumaciam et incorrigibilitatem ejici posset invitus; at vero si cum voluntate permanendi in religione ostenderet etiam emendationis propositum, non videtur posse expelli, quia tunc jam non est contumax, nec dici potest incorrigibilis; cum tamen propter solam contumaciam et incorrigibilitatem possit expelli, juxta c. ult. de Statu monach. Unde D. Thomas, Quodlib. 12, art. ult., comparat ejectionem hanc excommunicationi, ut sicut excommunicari non potest quis, nisi quia contumax est, et emendari non vult, ita nec a religione expelli; nam æquiparantur hæc personæ; utraque enim spiritualis est, et pœna spiritualis non fertur nisi in contumacem.

7. Respondeo, semper quidem esse necessariam aliquam incorrigibilitatem, non tamen semper necessariam esse actualem contumaciam. Priorem partem probat dict. ult. de Stat. monach., et alia testimonia supra adducta in n. 3, et illam intendit præcipue D. Thomas loco citato, ex Bonav., q. 14, in Exposit. regular., et sumitur etiam ex Bulla Alexandri VI, quæ refertur in lib. Monumenta Ord., concessione sexagesima quinta, et hoc convincit ratio quam D. Thomas insinuat;

nam hæc est gravissima pœna, quæ privat hominem non solum temporalibus commodis, sed etiam spiritualibus, et ideo non debet statim imponi propter delictum commissum, etiam grave; sed debent aliæ medicinales pœnæ adhiberi prius, et omnibus modis tentari, ut talis religiosus emendetur. Est etiam hoc consentaneum statui religioso, qui est schola virtutis ac perfectionis, ad quam pertinet non solum promovere ad virtutem, sed etiam vitia corripere, et specialiter infirmos curare; ergo est valde alienum a tali statu infirmos statim deplorare, quod fieret eos ejiciendo absque multa curatione prævia, quæ inefficax invenitur propter contumaciam infirmi.

8. Nihilominus probatur altera pars, quia si quis iterum ac sæpius correctus non emendatur, aut iterum atque iterum recidat, etiam si postea offerat et promittat emendationem, potest et interdum debet expelli: nam ille satis dici potest incorrigibilis, et ideo in eo locum habent jura, quæ incorrigibilem expellendum dicunt. Aliud est enim esse incorrigibilem, aliud actu contumacem; hoc enim etiam actualem resistantiam voluntatis, illud vero solum dicit iteratum lapsum contra adhibitam correctionem. Unde jura canonica statuunt, incorrigibilem clericum in aliquibus criminibus degradandum esse, et tradendum brachio sæculari; quod fieri potest, etiamsi tunc convertatur, et maxime doleat ac promittat emendationem, si jam sufficiens castigatio et monitio semel vel iterum præcessit; quomodo etiam se gerit Ecclesia in puniendis hæreticis relapsis; ita ergo de ejectione a religione censemus. Non est ergo omnino comparanda cum censura seu excommunicatione, sed solum quoad hoc ut requirat aliquam præviam monitionem, castigationem et contumaciam; non tamen in hoc quod illam etiam actualem et perseverantem postulet. Ratio autem differentiæ est supra facta, quod excommunicatio est pœna medicinalis, quæ per se primo respicit bonum ejus qui punitur; hæc autem non est hujusmodi, sed principaliter respicit bonum aliorum, scilicet totius religionis, tum in exemplum, et ut alii timeant esse ita rebelles ordinariæ correctioni et disciplinæ religiosæ; tum etiam ut auferatur malum de medio fratrum, ne et ipsi contaminentur, quod alia via non efficaciter cavetur; nam, licet talis persona dicatur offerre emendationem, non est tamen fide digna, nec probabilis de illa spes concipitur,

propter præcedentem incorrigibilitatem; et ideo licet in ordine ad bonum ejus credendum illi sit, et ideo absolutio a censura statim datur, quia solum pendet ex præsentis bona dispositione, nihilominus in ordine ad bonum aliorum id non sufficit, quia propositum illud facile mutabitur, vergetque ejus societas in aliorum detrimentum.

Quæ sit causa justæ expulsionis.

9. *Prima conditio ad justam expulsionem, grave delictum.*—Ex dictis declaratum fere est, ob quam causam possit religiosus professus a religione expelli. Ordinarie enim loquendo, duæ conditiones necessariæ sunt. Prima est, ut grave aliquod peccatum præcesserit, externum, et de se inferens scandalum aliis, vel infamiam religioni; tam gravis enim pœna non potest inferri nisi propter gravem culpam; oportet etiam esse externam culpam, quia de internis Ecclesia non judicat, extra forum sacramentale. Addit S. Bonav., opusc. 9, in regulam S. Francisci, q. 14, non satis esse quod sit externum, et sæpius correctum, si sit occultum, ne oriatur scandalum ex publica ejectione cum culpa non pateat. Intelligendum est autem satis esse quod sit publicum juridice, id est, ita ut de illo sit sufficienter convictus in regulari judicio, juxta debitam formam et modum ejus, quia in omni delicto hoc satis est ad condignam pœnam. Nec potest ab aliis existimari injuste punitus, eo quod delictum non fuerit publicum notorietate facti; quia potius debent præsumere Prælatum ut judicem juste procedere; nec etiam reo fit injuria publicando delictum vel pœnam ejus, quando in judicio satis probatum est, et ita expedit ad commune bonum. Dices: nisi tale peccatum in aliorum vergat detrimentum, non meretur pœnam separationis a consortio aliorum; non vergit autem in aliorum detrimentum donec sit publicum, ut infamiam vel scandalum generet; ergo. Respondetur non oportere expectare effectum, sed satis esse quod delictum de se tale sit, nam tale peccatum in persona religiosa, quæ in communitate vivit proficiente perfectionem, non potest non esse de se scandalum et religionem infamans. Unde Alexander VI Minoribus concessit, ut possint contumaces expellere, nulla addita restrictione de infectione fratrum, vel scandalo, et notorietate facti; quin potius expectare ut delictum sit notorium externis, quod Bonav. supra, q. 17, clarius indicat, non solum necessarium

non videtur, verum nec conveniens, sed maxime nocivum religioni.

10. *Secunda conditio, prævia monitio.*— Altera conditio est, ut de tali peccato præcesserit correctio et admonitio sine fructu, vel emendatione; hoc etiam constat ex dictis, quia oportet, ut non solum religiosus peccator sit, sed etiam incorrigibilis, ut juribus et ratione declaratum est. Quæri autem potest circa hanc secundam conditionem primo, quanta vel quotuplex correctio necessario præcedere debeat. Secundo, an semper et in omni casu necessaria sit, vel aliquando gravitas peccati semel commissi, et scandalum vel infamia inde secuta sufficiat. Ad priorem interrogationem dicendum est, de ea re non esse unam certam regulam pro omnibus religionibus præscriptam, sed maxime relinquere prudentiali judicio. Hoc constat ex Basilio, Augustino, et aliis adductis; solum enim asserunt, eum, qui sæpius correctus contempserit emendari, ejiciendum esse. Quam regulam sequitur ordo Prædicatorum, nam in suis Constitutionibus, d. 1, c. 19, ubi ille dicitur incorrigibilis, *qui culpam non timet committere, et pœnas recusat ferre, vel ex earum sepius reptita inflictione judicio discretorum cognoscitur non proficere.* At vero in religione Minorum ille proprie censetur incorrigibilis, qui ter convictus et punitus de crimine, non emendatur, ut habetur in *Ordinat. general. Toletan.*, tit. de Incorrigibil., c. 6, et refert Emman. Roder., q. 80, art. 14; et in regula S. Benedicti, c. 58, qui ter deserit religionem, post professionem factam, amplius admitti prohibetur, atque ita omnino expellitur, tuncque censetur satis incorrigibilis: quod si aliqua moralis regula tradi potest, hæc certe videtur maxime probabilis, magisque usitata. Unde clericus, qui de gravioribus criminibus his est canonice punitus, vel ter admonitus, et non emendatur, censetur incorrigibilis, ut degradari possit, et tradi brachio sæculari, ut videri potest in Julio Claro, lib. 5, § ult., q. 36, num. trigesimo tertio et trigesimo quarto; Menochio, consil. 82, n. 97; Bernard. Dias, in Praxi, c. 151, qui alios referunt.

11. Nihilominus non est hæc regula adeo certa, quin detur semper locus prudenti judicio Prælatorum, vel amplius expectandi, vel citius expellendi reum, si ad commune bonum valde conveniens existimetur, et nulla sit expressa lex specialis, quæ oppositum statuat; jus enim commune nullum est, sed loquitur

indefinite, ut vidimus. Unde etiam in religione Minorum, ex concessione Leonis X, quæ refertur in compendio privilegiorum, § 5, potest aliquando expelli religiosus pro atroci delicto semel tantum perpetrato, ut si ex illo delicto tanta infamia tantumque scandalum ortum esset, ut sine magno detrimento detineri reus inter religiosos non posset. Et religioni S. Hieronymi in Hispania concessit Pius V, anno Domini 1566, ut in delictis gravioribus aut gravissimis, velut inobedientiæ contumacia seu incorrigibilitate, possit suos religiosos etiam usque ad privationem habitus inclusive punire. Ubi etiam cum indefinite de gravioribus et gravissimis delictis loquatur, solumque gratia exempli ponat contumaciam inobedientiæ, constat non ponere regulam omnino definitam, sed prudentiæ judicis relinquere, quando delictum sufficientem gravitatem habeat ad hanc pœnam, et an, quæve contumacia expectanda sit. Similem in Societate nostra instructionem a Pontificibus probatam infra, tract. 10, ostendemus. Denique, secluso speciali jure ac privilegio, ex ratione naturali hoc ipsum significavit Sylvest., verb. *Abbas*, n. 6, ubi referens sententiam D. Thomæ dicentis, non posse expelli religiosum nisi propter contumaciam, addit: *Quod intelligo, nisi incorrigibilitas præsumatur de facto propter conditionem viri, vel de jure propter regulam ita mandantem.* Ubi imprimis modum et distinctionem indicat explicandi regulam a D. Thomæ et communiter traditam de contumacia vel incorrigibilitate, scilicet, vel actuali, seu præterita, et præsumpta. Deinde duos modos insinuat præsumendi juste incorrigibilitatem, etiamsi actu non præcesserit, vel de jure, ut quando regula aliqua religiosa illam præsumit in aliquo delicto, vel de facto, ut quando tales sunt circumstantiæ personæ, ut nulla sit moralis spes correctionis. Addo, etiam interdum fieri posse ut, licet sit spes correctionis in ipsa privata persona, non tamen possit satisfieri publicæ infamiæ, vel scandalo totius religionis, nisi expellendo religiosum delinquentem; vel non posse convenienti modo, et sine magno dispendio religionis in perpetuo carcere detineri, vel alio simili modo puniri; et tunc etiam esse posse sufficientem causam expulsionis, quantum est ex vi juris communis, si jus speciale alicujus religionis non repugnet. Quia commune bonum religionis præferendum est privato; et quia interdum juste punitur quis perpetuo exilio, imo et morte, propter unum delictum sine alia contumacia; et in-